


**Illa poli borei honor et
gloria, regum et reginarum
candida proles, splendo...**

Achrelius, Daniel,

82 Aa 13/1 47



For 1700
Univ. Reg.
C. H. S.
C. G. G.
Pat. J. ad.



ILLA

POLI BOREI HONOR ET GLORIA;
REGUM ET REGINARUM CANDIDA PROLES,
SPLENDOR MATRONARUM AC VIRTUTUM SIDUS,

CELSISSIMA DOMINA

MARIA EUPHROSINA,

COMES PALATINA RHENI IN BAVARIA;
DUCISSA JULIACI, CLIVIE ET MONTIUM;
COMITISSA IN VELDENS, SPANHEIM, MARCH-RA-
VENSBOGH, LECHÖ ET ARENSBOGH: BARO.
NISSA IN ECKHOLM: DOMINA DE RA-
VENSTEIN, HAPSAL, HELMET, HOIJEN-
TORP, KEGELHOLM, MARIEDAAL, MA-
GNUSBERG, VENNEGARN
ETC. ETC.

POST EXPLETA VIVENDI SPATIA,
POST VISA HUMANORUM ACTUUM LUDIBRIA,
POST CASTE ET PIE TRANSACTAM VITAM;
ANIMAM

UNICE SALVATORIS JESU SANGVINE
EMUNDATAM,
REDONAVIT COELO.
EXUVIAS V. CORPORIS ET OSSA,

HOC SUB MARMORE

JAM DEPOSUIT.

VIRORUM EST EXCELLENTIUM,
CIVILI TEMPERAMENTO
PROCURARE

REGNORUM AC RERUM PUBLICARUM NEGOTIA:
COMPESCERE MOLIMINA MOTUSQUE GENTIUM:
PIETATE, JUSTITIA, FORTITUDINE, FIRMARE SOLIA:
CONSERVARE VITAM, FORTUNAS, SALUTEM,
TOT MORTALIUM!

DENIQUE
EA COGITARE, EA LOQVI, EA DESTINARE,
IGNOBILIUM INGENIORUM INEPTIAS,
INGENTI CLARITUDINE OFFUSCANT.

SED NEC

ILLUSTRUM FOEMINARUM

MINORA SUNT OFFICIA.
ILLARUM

HÆC SUNT GERMANA PIGNORA
EXISTIMATIONIS ET VERÆ LAUDIS PRÆMIA
PLVS QVAM OPIMA VICTORIARUM TROPHÆA.
DONARE REGNIS

HEROES PRINCIPESQUE MAGNANIMOS,
SAPIENTIÆ CONSULTOS ADMIRABLES,
CIVES PROBITATE, CONSTANTIA, INVICTOS:



PER QVOS

STAT FLORETQVE HONOR SUPREMI NUMINIS;
EXALTATUR POPULORUM REVERENTIA,
ADCRESCIT PUBLICARUM UTILITATUM VIGOR.

COMMENDAT

PRISCORUM TEMPORUM HISTORIA

TOT

EXCELLENTIUM HEROINARUM EXEMPLA,
QVARUM

DEVOTIONEM, ET INSIGNEM GRAVITATEM;
CASTITATEM, MODESTIAM, VERECUNDIAM,
TEMPERANTIÆ AC SINCERITATIS IDEAM
UNIVERSA VENERATUR

SAPIENS ET CORDATA VETUSTAS.

HOC VERO SECULUM

QVOD FUCOS FUMOSQVE EMIT AC VENDIT,
QVOD PULCHRUM HONESTUMq; SUPERCILIOSE RIDET,
QVOD MAGNARUM MENTIUM FACTA CONCULCAT,
VIRTUTEM NON ÆSTIMAT,

QVIA

RARISSIME GIGNITUR.

NISI QVOD

IN HAC

PRINCIPE MATRONARUM

CERTATIM SUMMA OMNIA

CONSPIRARUNT;

INCUNABULORUM LUX ET AUCTORITAS;
SANITAS CORPORIS ET FORMÆ VENUSTAS,
CONJUGII SANCTITAS ET CONCORS AUSPICIUM,
TUM SOBOLIS DULCISSIMA GRATIA,

cujus

IN IMPERIUM FIDEM, PROPENSIONEM, CONSILIA;

VIDIT EUROPA,

MIRANTUR POSTERI;

SERVABIT ÆTERNITAS.

NOS

MAGNOPERE LUGEMUS,

TAM CITO PERIISSE

ILLAM MATREM OMNIBUS AMICAM!

ILLUD NOMEN TERRIS SALUTARE!

ILLAM VIRTUTEM ORBINECESSARIAM!

SED

DEO MAXIMO COMPLACUIT

TANTUM PIGNUS

E TURBARUM PROCELLIS, IN QUIETAM STATIONEM;
EX HUIUS MUNDI TRISTIBUS, AD DELECTATIONES COELESITES;
EX MORTIS FAUCIBUS, IN IMMORTALEM LIBERTATEM

EVOCARE AC REPONERE.

cujus

SACRO BUSTO,

CUM ALIUD NON POTEST AMPLIUS,
SINCERUM HOC ELOGIUM

DICAVIT

ACADEMIA ABOENSIS

PER

DANIELEM ACHRELIIUM,

